



Universitätsbibliothek Paderborn

**Isagoge Sive Introductio Ad Vitæ Spiritualis
Perfectionem, Omnibus tam Regularibus, quām Clericis
Sæcularibus, Confessariis, Concionatoribus, & Animarum
Pastoribus perquām utilis, & specialiter ...**

Herlet, Johann Georg

Sulzbaci, Anno MDC.XCIII.

§. 16. Medium nonum ad obtinendam conscientiæ puritatem &
teneritudinem est mortificatio Tactūs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37853

quantò frequentiores occurunt quotidiè occasiones incidendi in detractores : Nam pauci admodum sunt, qui huic vitio renuntient; raroque invenies, qui ita vitam suam irreprehensibilem exhibere velint, ut non libenter reprendant alienam; tantaque hujus mali libido mentes hominum invaserit, ut etiam qui procul ab aliis vitiis recesserint, in istud tamen quasi in extremum Diaboli laqueum incident; ut inquit S. Hieronymus, aut potius S. Paulinus Epist. ad Celantiam.

§. 16.

Medium nōnum ad obtinendam conscientię puritatem & teneritudinem est mortificatio Tactūs.

105. DE hoc sensu ait S. Basilius lib. de verâ Virginit. Tactum ut sensuum omnium perniciōsissimum, & s̄evisissimè blandientem sensusque reliquos ad voluptatis illecebras pellicientem, immaculatum & perturbationibus minimè pervium, semper quām maximā poterit curā servabit amator Castitatis: Hic enim totocūm sit diffusus corpore; per omnem illius superficiem ad vitiosos contactus adversus animam s̄evē dominatur. Sicut cūm ignem tangimus, ignis indicia per impressas nobis adustiones excipimus; impossibileque est, eum, qui ignem tetigit manus, illasam illam ab ejus incentivā operatione servare: cæterū aut bullæ repente tactum consecutā turgescunt, ac dolorosa per fervorem & inflammatiō-

mationem ulcera mox rumpenda minantur ; aut jam quoque facta in manu acris visuntur ulcera : ita possibile non est , eum , quem ignis amor attigerit , ejusmodi tactum innocuum inviolatumque perferre , sed aut simili ratione bullae per tactum manus cordi clam subrepunt , atque intumescunt , dirasque amoris perturbationes ferventibus incontinentissimisque agitationibus pariunt , ac peccati ulcera continuo rumpenda minantur ; aut animum totum in intimis jam graviter exulceratum indicant . Nec refert , quod contactus fiat in membris honestioribus v. g. in manu : Nam in membris omnibus ignis hic ardet ; adeoque his , qui corpus adustione liberum servare instituunt , membrorum omnium contractus cautè vitandus est : nè ardente ignis operationem in membro per tactum non in eâ solum parte , quam tetigit , sed in toto corpore , atque in animâ ipsâ suscipiant . Si enim dum caudam quis tantum serpentis attingit , caput magnâ licet corporis prolixitate disjunctum ad caudæ tactum repente convertitur ; Et si digito pedis nostri impinge , capilli capitâ mox in sublime feruntur : Et vitiosus projectò contactus , etiam si manus tantum fiat , à capite tamen usque ad extremos unguis ad consensum voluptatis , pro ejus , qui tetigit , nutu , pertrahit corpus : ut inquit idem S. Doctor ibidem .

106. Atque hinc cavendus est imprimis contactus alterius corporis , præsertim fœminei sexus . Quia fœmineum corpus masculinum attingens , aut contrà masculum fœminæ , ad congressum mutuò latenter incitantur . Veluti

P

stu-

*H*e
*R*u
*B*u

Stupa, si ignem odorata fuerit; protinus inflam-
mata accenditur, neq; opus est ullo adminiculo,
ullo vè foris insufflante; Sed simul atq; illum atti-
git, mox in apertas flamas erumpit: ita & fæ-
mineum corpus masculinum tangens, non multo
labore, neq; inflammante ad concubitum amore
opus habet; Sed cùm naturali ad se invicem ra-
piantur ardore; Simul ac se contingunt, scintil-
lam voluptatis intrinsecus fumantem sentiunt;
Sicut idem Basilius ait loco citato. Unde pro-
hibet Virgini, nè contingat manus fratri sui
uterini; eò quod talis contactus possit sensum
carnis ad sua molienda opera latenter excitare.
Refert Senex quidam in vitis Patrum lib. 6, de
conversat. opt. libello 3. num. 11. Qualiter à ta-
cibus manum Virginis cuiusdam Deo sacræ
pervenerit ad lapsum carnis; jam consuetudo,
inquit, facta est, ac fiducia major: postremo
etiam tactus manum, & risus: ad ultimum
concepimus dolorem, & peperimus iniquita-
tem.

107. Secundò cavendus est contactus inter
 homines etiam ejusdem sexus maximè adoles-
 centes. Scrabit enim Joannes Cassianus lib. 1.
 instit. c 16. Quod Regula S. Pachomii per
 Angelum tradita, manum contactum sub gra-
 vi pœnâ prohibuerit; ita ut si, Monachus teti-
 gisset alterius Monachi manum, in Synaxitam
 diu prostratus jacere debuerit, quoad Abbas eum
 surgere juberet. S. Ephrem de vita Spirit. ait:
 membris alterius manum adhibe, si necessarium
 fuerit; attamen cum tremore; non aliter ac si

res

res sanctas attingas ; etenim verè sanctum est templum Domini. Nescitis , inquit , quia templum Dei estis , & spiritus Dei habitat in vobis ? Si quis autem templum Dei violaverit, disperdet illum Deus. Templum enim Dei sanctum est, quod estis vos. Unde addit : Si charitatis officio fungens, oleo inungis agrotantem, oculos & manus observa , nè illa in re modestiae terminos excedas. Severior hac in re est S. Basilius; monet enim Religiosum Juvenem , ut nec vestes alterius contingat. Quandocunq; assidendum est; aliquo semper ab eo intervallo assideto. Quandocunq; capiendi Somni causâ cubandum ; cave, nè vestimenta inter se mutuò sibi vestra propinquent ; inquit S. Doctor serm. de Abdicat.

108. Tertio cohibendus est tactus à contrectatione proprii corporis non necessariā. Facillimus enim est transitus ad coinquinationē & immunditiam carnis ; ut inquit S. Joannes Climacus grad. 15, dicens : Fit nonnunquam, ut ex solo tactu corpus inquinetur : nihil quippe sensu isto gravius ; nihil periculosius. Est quippe in nobis mors quedam , ruinæ pernicies, quam in nobis ac nobiscum circumferimus in juventute maximè ; quam equidem Scripturæ tradere ausus non sum : continuit enim manus meas is, qui ait : Quæ in occulto à quibusdam fiunt, turpe est dicere, & scribere, & audire. Quod occultæ immunditiæ vitium difficillimè corrigitur teste Cardinale Toleto in Summā lib. 500. 13. ubi ait : illud esse adeò universale, ut crediderim, maximam partem damnatorum hoc

P 2 infice

infici peccato. Et est difficillima curationis : quia occasio semper est cum homine. Propter quod sancti & timorati viri magnam semper cautelam adhibuerunt, ut proprium corpus non nisi in necessitate contigerent, idque cum timore & tremore ; prout in vita S. Godefridi Ambianensis Episcopi refert Surius ad diem 8. Mensis Novemboris,

109. Porrò media sensum tactus mortificandi alia sunt extra-ordinaria, à viris sanctis contra tentationes carnis extra-ordinarias usurpatae : extremis siquidem morbis & malis extrema adhibenda sunt remedia. Sic de SS. Bernardo & Francisco legimus, quod pruritum tactus frigore brumali extinxerint, corpus suum voluntando in nivibus. De S. Benedicto scribit D. Gregorius Papa in vitâ, quod titillationes carnis suppresserit laceratione, puncturis & vulneratione per spinas inflictâ. Fuerunt etiam, qui ferrearum catenarum & loricarum pondere sensum tactus afflixerunt ; sicut de S. Dominico loricato scribit B. Petrus Damianus *Epist. ad Blan-*
cam ; Et de Jacobo Maronis discipulo, Agapeto, Stephano, & Auxentiano, aliisq; refert Theodoretus in *Philoth.* Qui propterea cataphracti milites Christi non in merito potuerunt appellari. Verum extraordinaria, ut dixi, sunt hæc mortificandi tactus media, & non nisi in casibus planè extra-ordinariis de consilio Patris spiritualis usurpanda : nè per indiscretum mortificationis zelum & excessum, dum vitia persequi volamus, ipsum corpus nostrum occidamus ; aut

ad

ad debitum Majestati divinæ servitium præstan-
dum illud inutile reddamus. Sancti enim ho-
mines Spiritu Dei afflati multa fecerunt , quæ
mirari debemus ; non imitari ; ut inquit Nebri-
dius in *Antiquar. Epist. 110.* Communior & to-
lerabilior affligendi tactum modus est vestium
asperitas , strati durities , & cilicij usus : De quo
ait S. Hieronymus *Epist. ad Eustochium de Virgi-
nit.* Horrebant sacco membra deformia. Et quem
S. Joannes Baptista adhibuit etiam teste *Mat-
thæo. cap. 3.* habebat enim *vestimentum de pilis
Camelorum.* Scilicet :

*Contra luxuriem molles duraret ut ar-
tus;*

*Arceretque graves compuncto corpore
somnos;*

uti canit S. Paulinus. Qui etiam de S. Martino
Turonensi Episcopo , & Monachorum Patre
scribit lib. 2. *vita illius* :

*Quin & contexto setis coopertus ami-
diu,*

*Exesa assiduo compunxit acumine mem-
bra;*

*Ut tereret tenuem vestis nimis aspera-
pellem,*

*Et cutis extentis stimulis attacta paue-
ret.*

Optima verò mihi , & maximè accommodata
P 3 viden-

videntur illa media mortificandi tactus sensum, quæ in quolibet statu Religionis per Regulam & constitutiones præscribuntur, ut potè fini & perfectioni illius Statûs magis proportionata & congrua. Cujusmodi sunt imprimis molestiæ, labores & afflictiones exercitiis & functionibus sive operibus ordinariis conjunctæ. Quas pro-indè corporis & carnis mortificationes ambabus ulnis amplecti, & cum vehementi SpirituS alacritate debemus obire, præ aliis extra-ordinariis & aliundè mutuatis, ac contra vel præter morem nostri Ordinis & Statûs assumptis. Neq; enim probandi sunt illi, qui nescio. quam perfectionem ponunt in cruciatibus corporis in suâ vocatione insolitis & peregrinis: econtrà verò ob difficultates, labores & molestias in Exercitiis sui statûs occurrentes murmurant, indignantur; aut ab illis se, ubi possunt, subtrahere & eximere solent.

§. 17.

Medium decimum ad obtainendam conscientiæ puritatem & teneritudinem est mortificatio Gustus.

110. **N**ecessitatem hujus medii indicant SS. Patres gravissimis verbis. B. Vincentius tract. de vita spirit. ait: *Primò contra gulam insistas: nisi enim contra hanc victoriam habeas, in vanum laboras in acquisitione aliorum virtutum.* S. Nilus Orat. 2. de luxur dicit: *Qui ventrem cibis explet, & se castè victurum profitetur,*